QVAESTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS II. DECEMBRIS,

M. PETRO LE COMTE Doctore Medico, Moderatore.

858

An dæmonas in corpora subeuntes nonnumquam internus calor imitetur?

TRES natura rerum socios & affines spiritus includit, addictas corporibus animas, consecratos cælorum sedibus Angelos, & dæmonas incerto aere oberrantes: hi enim compositione aerei sunt, vocum & sonorum instar inaspectabiles, eóque nómine truces & exitiales. Arcanis aliàs quibusdam virtutibus in hominem inuadunt, qui tum vtriusque partis occupatione ἐνεργούμενος dicitur, non quòd principes corporis partes habeant; sed vt quibusdam nidoribus & suffimentis oblectantur, ita in cœnosis & lutulentis conceptaculis stabulant, ad inquinatos humores feruntur, melancholicæ præsertim temperaturæ assident, cui plurimùm συμπαθεῖς existunt: ipsas mulieres viris crebriùs infestant. Larium genus vnum ex æthere præstanti mentis claritate illuminatum diuinationis vim infundit, suóque jure sibi τοῦ δαίμονος nomen adsciscit: alterum ex aere imaginandi potentiæ & sensibus illudit: tertium ex aqua molle & effeminatum dementi concupiscentiâ lasciuit: postremum suâ figuræ immanitate oppidanis rusticis, mulierculis & ægrotantibus animis δεισιδαιμονίας variosque terrores incutit. Lemures, genij, laruæ, penates, officiorum, non rerum discrimina sunt, quibus commune est vexandi studium; sed natura ferax & ἀλεξίκακος, etiam aduersus genios diuexantes arma protulit, inter quæ musicâ nihil aptius finxit.

PRÆSTIGIÆ, incantamenta, τερατουργίαι, maleficia, strigationes & fascinationes magicæ vanitatis ludibria sunt: magorum cœnæ, exaugurationes, nocturnique sagarum cœtus plerumque sunt anilium deliramentorum similes. Itaque magorum cœnis initiari aut exaugurari ficta sunt crimina, quorum ad examen frustra exquiruntur stigmata, quæ ab humoribus vstis, hominúmque potius quàm dæmonum artificiis vestigia sunt impressa Sæui hi sunt diuinorum expilatores, qui nec pactionibus adiguntur, nec sagarum, nec strigum, nec magorum jussa capessunt, non vinciuntur characteribus, annulis & phialis non includuntur, in specula & statuas non coguntur, nec inuiti in corpora penetrant: eorum tamen spiritibus afflari quædam oppidò constat, túmque irretita furoribus agi, emotâ mente nouâ scientiarum irradiatione clara inaudita fari: (quod tamen reipsâ dæmonum nullus indulgere potest:) mox ratione abjectâ brutè insanire, adactis in jecur stimulis libidinem efferari, & corde vehementiùs turbato nocendi auiditatibus flagrare.

CALOR primigenius geniorum hominem occupantium primus, non est peregrinus, nulli secundus, ipsâ naturâ antiquior, fœcundus quia seipsum parit, & auidam in toto voracitatem suo damno pascit: hæret enim pabulo, quod cùm carpit, carpitur & ipse, assiduóque interitu donatur immortalitate, quâ mortales ipsos æquali vigore & paribus vitæ beneficiis semper beauit & beaturus est. Flamma hæc foras intrò, sursum deorsum, & quieto circuitu αὐτοκίνητος corporis & animæ intelligentis copulam facit, atque inter animæ partes ὁμολογίαν, ex qua in totam decor & sanitas redundat, velut expugnantium seditione prauitas & ægritudo. Brutus calor anima jecoris est informatrix, cupiditatum fons: cordi æthereus inest, irarum vim tenens: vterque sæpius velut dæmon Ophioneus ab anima immortali rebellis est. Sydereus cerebri calor & splendor siccus sapientis, siccior heroïcæ mentis genius est: adeóque calori seruit τὸ ἡγεμονικὸν, vt rationis euersio numquam ex capitis figuratione promanet, nisi calore gradus natiuos solitásque periodos egresso.

QVI formationis tempore ad imum emigrauit calor, pertinax si fuerit & actuosus, tot penis fœcundat viscera, vt immanior dæmone possit haberi. Hoc viro magis agitur femina, cui propter vastum inter animalia pudendum, lunari humore irriguum, idem calor dæmonij θηλυμανῶν aliquando imaginem obiicit: quandoque flammâ thoro prosilienti in ἀνδρόγυνον euadit, & præceps amore tribas initu virili nefariam libidinem exercet. Poëtica omnis alia metamorphosis est, soláque naturalis, quæ ab interiori calore oritur. Calor, inquam, solus est qui vt animorum ita & corporum indiuiduam facit copulam, vt econtrà solus est qui incantationem, inanémque veneris nodum parat, cui soli nata ex maleficio impotentia debetur, quam congressu palam nefando irritum est explorare, ex eóque virilitati masculæ sæpius injurium viro libellum repudij mittere. Potens equidem in amore & consensu calor, vtpote quem pulsibus & oculis prodit: sed multò potentior in odio & dissensu. Nam interfecto superstes quasi ex ossibus oriens cruore fuso vltionem clamat, & in extincto grauidæ matris cadauere residuus fœtum adhuc spirantem eiicit.

CALOR publicus ille partium, morum, & operationum formator, dux & dæmon πάρεδρος singulis assistit; in cerebro cælestis residet, qui raptâ in mentem melancholiâ, vel eius disparili aspiratione actus ministrarum & principum facultatum princeps ipse fit: modò infernus dæmon quo baccha rapitur, Dido connubiis repulsa gladium, Phædra laqueum, Sappho præcipitium deperit: atque pudica quæ priùs fuerat, in impudica & turpia erumpit: Inductâ in errorem phantasiâ diuinorum verborum auditione inhorrescit, quæ etiam fanatica potiùs quàm sapiens intelligit, eásque imagines quibus luditur arduo sermone obloquitur. Imperiosior in sequiori sexu calor, vt venereorum desideriis sæuit in vtero, sic aliquando elisus per genitalia turpissimi dæmonis intus latitantis: ingressus in splenem & omentum, Pythonissæ aut ventriloquæ suspicionem mouet. Sublato in cerebrum calenti flatu spiritus accommodata calori sedes mentem impellit, eámque spiritus ipse qui calor est ad vnum reuocat, & affectionem somno similem perpessus heroïco furore occupat. In augurem, aruspicem & astrologum euadit: quandoque hæc vis animæ diuina explanatis imaginibus rudis antea, multarum artium & disciplinarum gnara videtur: aliàs superiori parte consopitâ phantasiæ illudit: corporis & animi motus regit: funambulos, orchestas & circulatores efformat. Quid moror? cùm furenti vtero compatientibus motuum instrumentis prodigiosæ artubus figuræ impertiuntur, lingua mole & colore stupenda exeritur, crines immoto capite eriguntur, totúmque corpus ad instar cylindri rotatur; frustra es si nonnumquam alteri dæmoni quàm interiori calori adscribas.

Ergo dæmonas in corpora subeuntes nonnumquam internus calor imitatur.

305.

Proponebat Lutetiæ STEPHANVS LE GAIGNEVR Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XXXVIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. Iacobus Mantel.
M. Nicolaus Matthieu.
M. Carolus du Pré.

M. Petrus Hommets.
M. Iacobus Renault.
M. Nicolaus Langlois.

M. Franciscus Mandat.
M. Claudius Lienard.
M. Renatus Moreau, Professor Regius, & Scholæ Censor.